

ROYAL GARDENS KEW.



55F

Pre-Linn. Colin. B

Boy



FLORA SINENSIS,
FRVCTVS FLORESQVE HV MILLIME
PORRIGENS,

30.

SERENISSIMO ET POTEN-
TISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO

E O P O L D O
IGNATIO,
HUNGARIÆ REGI FLO-
RENTISSIMO, &c.

Fructus Sæculo promittenti Augustissimos,
emissa in publicum

A
R. P. MICHAEL BOYM,
Societatis I E S V Sacerdote.

�

A Domo Professâ ejusdem Societatis Viennæ
Majestati Suæ unâ cum fœlicissimi Anni appreceptione oblata.

Anno salutis

M. DC. LVI.



VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Matthæi Ridij.

GOSVVINUS NICKEL
SOCIETATIS IESV PRÆPO-
SITUS GENERALIS.



Ulm opusculum, quod inscribitur
Flora Sinensis, (præcipuos Si-
nensium, & Orientalium India-
rum fructus, arboreſq; cum ap-
positis suis proprietatibus continens) à P. Mi-
chaele Boym nostræ Societatis Sacerdote con-
scriptum, aliquot ejusdem Societatis Religiosi
recognoverint, & in lucem edi posse probave-
rint, facultatem concedimus, ut typis mande-
tur, si ita ijs, ad quos spectat, videbitur : cuius
rei gratia has litteras manu nostra subscriptas,
Sigilloq; nostro munitas damus, Romæ 22. Ju-
lij, Anno 1655.

Gosvvinus Nickel.

Omnia
Ad Majorem DEI
Gloriam..

Permissu Superiorum.



SERE



SERENISSIMO ET POTEN-
TISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO,
DOMINO

LEOPOLDO
IGNATIO,
HUNGARIÆ REGI, AUSTRIÆ
ARCHIDVCI, &c.

GENERIS HUMANI AMORI AC DELICIO,
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Vitam, sspitatem, felicitatem!

SInense cœlum, mite & benignum olim, nunc
Tartarico frigore exasperatum, infestumq; plantis
relinquens Hortus meus, ad Te configere audet,
Serenissime LEOPOLDE; nutu id quidem
meo, ex quo felicissimam juventutem Tuam, cum
lætâ spe uberrimorum fructuum in Regium decus effloruisse, Fa-
mâ nunciante, cognovi. Mirantur in Te forsan alij germani
pulcherrimi floris, tam citò Coronis Regijs maturescens: non
ego, qui ad incrementum ejus omnia scio jam dudum conspirâsse.
Taceo cœlum, quod propitium & clemens Vestri Generis flori-
bus semper fuit, semper erit; Taceo solum natale, Austriacam
Domum, cui nil usitatius, quàm producere, Virgilij verbis, flo-
res nomina Regum inscriptos. Te unum dico, qui cum ipse
Tibi Sol esses, quippe Serenissimus jam ante; & sol igneus in si-

gno Leonis, LEOPOLDVS nimirum IGNATIVS: florem Tuum intensissimo Virtutis calore sic animasti; ut tribus vitæ lustris exactis, prævenerit maturitate Nestoreos annos aliorum.. Fabulosos Heroas ingentibus Saxis Poëtæ in hostes armant, quæ humo tollere hominum cœterorum queat nemo. Et florem Tuum, tenerum quidem, propaginem tamen verorum Heroum, quibus moles Orbis, nunquam interruptâ serie, à sœculis jam duobus innixa est, sustinere mirabimur onus Regni, quod subire humeri Atlantis formidarent? sustinet; atque ætate firmitior (ita Superi spondent) alia sustinebit: nec sustinebit tantum; sed per eadem, DEI Tuisq; hostibus gravis ultior incumbet. Ac Thalmudici quidem, Hierosolymis hortos conseri ullos fas fuisse negant: eam ob causam fortasse, quod urbs illa Sanctissimo Divini Numinis templo, cœlestibusq; ornamenti insignis, terrenas delicias videretur respuere. Hortum autem meum accedere Te voluntem, si Regius splendor arcet; (Reges enim viva Dei templa, aut Diis potius estis terreni) recedere tamen parantem flos Tuus revocat, & benignissimi Solis, quo favente crevit, radium unum plantis illius promittit; quæ prostratae haetenus injurijs temporum, ut Borealibus perniciem, sic Austriaco debere se perennitatem æternum profitebuntur.. Ita voveo

Maj^{tis}. V. Reg:

Humillimus in Christo Servus,

Michael Boym, S. I.

CENTVRIA CHRONO-
STICHORVM

IN FELICISSIMAM ET AUSPICATISSIMAM
CORONATIONEM

SERENIS: HVNGARIÆ
R E G I S

LEOPOLDI
IGNATII,

HVMILLIME CONCEPTA IAM PRIDEM

� à

FLORA SINENSI

Nunc tandem ob maximam locorum intercapedinem,
quamvis serò, serio tamen adfectu devotissimè oblata.

MVsæ CeLeres aDeste,

LeopoLDDo LaVDes Date.

LeopoLDDo DeLICIo nostro, ChronographICa CanIte præConIa,

Et ConnectIte è CœLI faCle prognostICa enCoMIA.

LeopoLDI IgnatII RegIs aLtâ Mente reposta est

GLorIa ChrlstI DoMIInI,

Et MarIæ Delparæ seLeCtIor In terrIs honos:

InDè optIMa præfagiRe LICebIt,

oMen è CœLo DatVr..

LeopoLDDo Astræa LVMen præferet,,
Et bILanCe ratlonIs oMnIa pondErabl.

Ergo LeopoLDDo, FerDIanDI nostrI gLorIæ & spel,
LaVDeM astra Canant.

LeopoLDDo FerDIanDI TertII proLI
AppLaVDant CaMoenæ :

VIVat LeopoLDVs IgnatIVs AVstrIVs, MagnVs reX VngarIæ ;
Ista VnDIqVe In CoMIlIls regIls præsentlbVs, aVrlbVs haVsta VoX.

LeopoLDDo IgnatIo LlbentssIMè
se obtVLIt, Vt prInCplI sVo natVraLI, AVstrIa VtraqVe, & eLegIt

regeM Corona VngarIæ, Croatlæ aC sLaVonlæ ;

Et CLaMat CVnCtVs popVLVs parILl, hILarIqVe VoCe : VIVat reX !

LeopoLDVs IgnatIVs AVstrIæ ArChIDVX, ApostoLICâ InCLytl
VngarIæ Regnl Coronâ ornatVs fVIc :

ErIt hInC Malor Del gLorIæ ;

PLaVDant ergo oMnes Canorè !

ALta petet LeopoLDI IgnatII RegIs faMa.

LeopoLDDe Magne saLV.

LeopoLDDo IgnatIo prIMo Rege gLorIare PannonIæ.

LeopoLDVs IgnatIVs ConCorDI CalCVLo & Voto InaVgVratVs reX
VngarIæ :

Ita Deo Ipso DIspONENTe fIDos regnICoLas.

Late Regla Malestas LeopoLDI resonet In terrIs,

Ita ID DesDerant PannonIæ InCoLæ.

LeopoLDVs IgnatIVs reX VngarIæ, VIVat, gVernet, trlVMphetqVe,
TVrCIClIs CastrIs DebeLLatIs, VnIVersIsqVe Chrlstanltatis hostlbVs
fVgatIs, fVsIs, DeVICtlIs.

LeopoLDDo LætaMVr rege.

In LeopoLDDo IgnatIo Rege soLaMen erIt terrIs,

Et oMalbVs IpsIs sVbDIlIs, ob HeroICas eIVs, sangVInIqVe AVstrIa InsItas,
& IngenItas VIrtVtes.

Isto anno Regla Malestas obLata est LeopoLDDo IgnatIo :

IDeò MaCtabo hostIas In LætItla,

Et CanaM LaVDes

Deo ALtIssIMo tantl operIs faCtorI.

LeopoLDDo IgnatIo Insignia raMos oLeæ præferent

In Ipso statIM regnI sVI prInCplI, Vbl TVrCICas CopIas VICtorIosVs

CastrIs eXsVerIt.

LeopoLDVs IgnatIVs reX Leges DabIt eX RegaLI soLlo, nobIlbVs
CIVlbVs, & pLebI pLaCentes,

LeopoLDDo IgnatIlo AVstrIaCo RegI HVngariæ exqVIsltIVs CongrVet:
parCere sVbiéCts & DebelLare sVperbos:

A LeopoLDDo regelSaLVteMISpera;

CVM DeVs opera eIVs, & VlrtVtes prosperatVrVs sIt faVstIs eVentibVs.
sVb LeopoLDDo IgnatIlo AVstrIaCo, Rege VngarIæ sCVla reDibVnt aVrea,
EX Ipsa Dlphterà loVls aLIqVI VoLVnt præfagIVM VatI InnotVIss.

MAD CœLVM

LeopoLDVs IgnatIVs ArChIDVX AVstrIæ reX VngarIæ reCtA It per CaLLes
CæsarIs PII ParentIs

LeopoLDDo Mars LaVreas offeret,
De pLVrIMIs gentibVs, triibVbVs, nationibVs, popVLIsqVe barbarIs
sVbIVgatIs.

LeopoLDDo IgnatIlo IMpersa obt'gent Læta,
oMINari ID faCiLè astra slnent.

LeopoLDI IgnatII Magnallia,
CheLy aMœna fVnDet
APOLLo MeLoDVs;

Et HeLIConIs egressa DoMinIs.

Ter terna DearVM Læta Cohors,
LætVM poena ConDet.

In LeopoLDDo FerDinanDI fillo Rege,
DeLeCtaMVr.

SeD flnlre Mhl lICeat:

Ante taMen preCanDo postVLo,
FaCVlitateM Date,

PossIM adIICere alIIs:
Chara DeVm soboLes

LeopoLD De ò Magne VaLe.

Vel hoC MoDo:

DVLCeM

LaboreM DeCVrtabo,

Et CLaMabo DeVotè,

CœLVM penetrando

DeVs CLeMens,

A LeopoLDDo Vngaro Rege MaLa,

MiserICorDIa solIta ablige.

Sancta Maria Del Patri^s FILIA,
Et FILII Del Sancti Mater,
LeopoldVM soLare,

In InIMICO profLiganDo, Vlo etiqa eVot
VXXILIVM VeLoX orationibVs. VotisqVe ferenDq;
DepreCarI qVoqVe plè. VeLIs GenitrIX, & Virgo sine peCCato ConCepta,
Vt aVDire possIs. VTetLaRIs. VotisqVe D^r 1723
E CœLo qVonDaM

LeopoldI orlentalis IMperatorIs. Vlo etiqa eVot
At CLaVDaM,
Et tanDeM plVra refecabo.
HeCato Mbe satIs si arrideat LegentI.

Respiraverat nonnihil Flora Sinensis

S mox
Bina Chronographica profert,
quæ Annum Coronationis

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
LEOPOLDI IGNATII
VNGARIÆ REGIS
CONTINEBANT.

FerDInanDo plo, Fratre erepto
& Astris Donato, regnat fœLICIter.

LeopoLDVs spes altera RoMæ.

Flora dixit.

Domus Professa Soc: IESV Viennæ

Humillimè offerendo

Regiæ Majestati applausit.

SO-

SOCIETATIS IESU PATRES,

Acri Sinensis horti cultores
à Præfecto Scianquinensi, apposito foribus
titulo, declarantur.

S. FRANCISCUS XAVERIUS

Igne Divini Amoris accensus
totus in eo erat, ut in Sinensis Regni Agro Hortoque
totius Orbis Maximo Christianam Legem plantaret.

Sed Hunc, dum Fidem radicare cogitat,

ad Palmam Deus evocat.

Ita prius ad ipsa præteriorum laborum præmia,
quam ad novos labores pervenit.

Ergo

Sublato X A V E R I O transiit ad Posteros plantationis cura.

Qui tanti Antecessoris Zelum strenue æmulati
salvificam Christianæ Crucis Arborem,

Quam ad Sinensem Portas moriens defixerat X A V E R I U S,
perfractis tandem claustris intulere feliciter.

Aditus, qui expugnari vi non poterat,
tandem ad Christi Fidem Pietate & Eruditione,
opera

P. Michaelis Ruggerij & P. Matthæi Rictij, apertus est.

Quibus non ingrediendi tantum, sed & eradicandi Idololatrici lolij
plantandæque gloriose Crucis Arboris copia facta est.

Ergo Christus annuntiatur Sinensibus, Templa exstruuntur,
Sacro fonte quamplurimi abluuntur.

Primum Templum

Scianquini (est ea Cantonicæ Provinciæ Metropolis) exstructum.

Id cum Cives variè ferrent,
Præfensus Vrbis, ut auctoritate suâ,
Quam & Famâ sapientiæ, & Republicâ
benè gestâ ingentem collegerat,
Loci religionem tueretur, atque augeret;
Hunc foribus Titulum apposuit.

Divorum Floris ædes.

FLOREM intelligens, qui D.E.RA.DICE JESSE ascendit.
In nullo enim sic triumphat SOCIETAS, quam in JESSAO
ISTHOC FOSCULO, qui adhuc dum spirat per Sinensem
hortum odorem suavitatis mellitissimum,
Societatem autem quanti fieri vellet ille Idem Præfectus;
Altera hâc, quâm in interiori Aulâ affixit Inscri-
ptione testatum voluit:

Gens ab Occasu Sacrofancta

Supra modestiam quidem Societatis ille titulus;
Admissus tamen quia Religionis intererat, auctor
Sinensis horti Cultores honorari:
Qui cum multa missione Christo, eisque Ecclesiæ implantarunt;
Nonnullos etiam Societati
Mirare Lector, & timare nobiscum Omnipotentis DEI
dexteram!

Qui dum in Septentrionalibus hisce partibus
Zizania sua disseminat discordiarum omnium
ac hæresium Auctor pestilentissimus;
non deest Concluso Horto suo, Ecclesiæ,
Sed illam Borealis Euris tererrimarum opinionum
percussam, transplantat in amœnissimas Orientis partes,
vbi ut porrò suavissimis Gratiæ suæ Zephyris eam
adflare ac promovere dignetur, Tu mecum &
cum totâ adeò Ecclesiâ Deum serio precare
quisquis hanc Floram nostram Sinensem
contemplaris, Deique Omnipotentiam
nobiscum, ut decet miraris!

Bene vale, Bone Lector,

&

Instituto nostro fave.

De Provincijs Regni Sinensis, ejusque Nobilitate.

S I N E N S E I M P E R I V M .

 Lim à Xuno Imperatore in duodecim, nunc in quindecim ingentes provincias divisum est. Sex ex ijs mari adjacent, Peking, Xantung, Kiangnan, seu Nanking, Chekiang, Fokien, Quantung. Ad Boream occurunt, Quangsi, Kiángsi, Huquang, Honan, Xansi. Ad occidentem vergunt, Xensi, Suchien, Queicheu, Yunuan. Habet præterea Læotung regionem ad occasum provinciæ Peking, ubi magni muri istius principium. Numerat etiam non paucas Insulas vicinas, quæ tributum Regi Sinarum pendunt, inter quas est Hainan, Lienkieu, seu Insula formosa. Item Cheuxan, aliæq; plures quæ ita inter se conjunctæ sunt, ut una potius quam plures Insulæ esse videantur..

Regnum hoc Sinense Orbis compendium, aut annuli, hoc est Orbis gemmam re&te dixeris, in qua scilicet plus pretij, rerumq; reperturus es, quam in reliquo, ut ita dicam, orbe toto. In Australi plaga, majores fervent æstus, ubi omnes Indiae fructus læti proveniunt, uberesq; : Palmarum nuces, Musæ, Mangas, Ananas, alijq;. In Boreali vero parte uvas fert, Ficus, Castaneas, nuces alias omnis generis, poma Persica, Cotonea, Pyra varij generis'.

Vbiq; cœlo, solo, uberrimis pascuis falloq; in locis maritimis, & fluminibus læta est regio. In ea Naturam, artemq; beneficia & liberali credas concurrisse manu, ut nescias fertilitas, an pulchritudo, utra plus alteri debeat. Illud omnino fatendum, quidquid alibi reperitur per partes, hic reperiri simul omnia, ut multo verius de hoc regno dici possit, quam de Romana Regione illud Propertij.

Omnia Sinensi cedant miracula terræ,
Natura Heic posuit, quidquid ubiq; fuit.

Ad Lectorem.

Falso & veros Prophetas, bonos & malos homines, ex bonis vel malis operibus comprobari, non aliter plane quam arbores ex fructibus, ait veritas Christus Matth: 2. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis fucus? Omnis arbor bona, bonos fructus facit, mala autem arbor, malos fructus facit, igitur ex fructibus earum cognoscetis eas: nimurum Terras etiam, ac mundi Regiones ex Arboribus ac earum fructibus, bonas vel meliores, malas, vel peiores, ex hoc pulcherrimo ratiocinio cognosci posse compertum est. Oculis tuis, humanissime Lector! Sinarum & Indiarum praecipuos fructus & arbores depictas proposui; de Terrarum ac Regionum qualitate, verosimilem ex illis, credo, poteris habere conjecturam. Sed illud imprimis animadvertas oportet; quod Tellus Orientalem Indiarum, ac ferè totius Zonæ torridæ, quæ Cancri & Capricorni concluditur Tropicis, progenerandis fructibus Europæis, experientia teste, minus idonea reperitur, sive enim adferantur teneræ plantæ, sive terris semina commendentur, aut nullos fructus producunt, aut plerosq; degeneres, in odore, sapore, magnitudine, alijsq; proprietatibus; idipsum in lactucis, herbis & oleribus, ex Europæis evenire seminibus jam est exploratum, longè minora progenerant, saepius semen ex illis collectum, aliud ejusdem speciei individuum nequit progignere, forte quod prolifica virtus exilis ab Indica tellure suffocetur; Sinarum autem feracissimus ager, non indicos duntaxat, in Australibus potissimum Regnis, sed Europæos omnes egregie, & quosdam alios proprios sibi fructus producit abundanter. Pulcherrimam illorum varietatem in Quindecim vasisimis Regnis incolæ admirantur, siquidem per universum Sinicum Imperium, fructus, quibus parent provinciæ, ab alijs accipiunt, quibus vero abundant, alijs & celerrimè & facilime subministrant, quo fit ut anno ferè integro recentes, maximè ubi frigida riget hyems, haberi possint, in aliquibus enim Regionibus Novembre, Decembre, Ianuario, Februario, mensibus maturescunt, in aliquibus, Martio, Aprili, Mayo, Iunio; in aliquibus Iulio, Augusto, Septembre, Octobre producuntur. Mibi profectò peperit non mediocrem admirationem, multimoda diversitas fructuum, & admirabilis illos producendi ratio, nostratis omnino dissimilis Arboribus: plerosq; videmus in Europa ex ramis folia,

lia, tūm flores, deniq̄ fructus progignit, sic poma omnia, sic Pruna, sic Persica, & hu-
ijsmodi cetera nascuntur, quæ apud Sinas quoque, in magna reperiuntur copia. Apud
Indos autem & Sinas Australes quædam Arbores amplissimis folijs refertæ, in trunko.
flores, atque etiam sine floribus fructus germinant, sœpe unicum, interdum duos; adeo
magnos, ut deferendis singulis, homines singuli pene sint necessarij, à Lusitanis Giakas,
ob pungentes spinas, à Sinis Po-lo-nie vocatur. Sunt nonnullæ Arbores, quæ nullos ra-
mos habent, sed tantum aliquot folia in vertice, & pone illa ex ipso trunko flores, atque
ex illis circumcirca Melonum marcimorum ad instar, protrudunt dulcissimos fructus,
sicut Pa-paya. Aliquæ per integrum trunkum, sine folijs, ex floribus fructus ovalis
figuræ, atque si essent parvuli, Repones, progignunt, uti Brinhœs. Est quoddam ar-
bustum, intra sex mensum intervallum, ex quinque vel septem foliorum (quæ totum ho-
minem cooperire possunt) medio, unicum & solum producens ramum, qui mille sœpenu-
mero oblongas fructus sine folijs defert, quo abscto, neque ramum alium, neque fructum
progigner e potest: ideoq; arbustum necessario succidendum ne officiat similibus plantis
quas simul comproducit. Vidi in Hay-nan Sinarum Insula, & Provincia quam-tum,
Arborem maximam latissimis folijs conspicuam, sine floribus & sine fructu, media radice
harentem telluri firmissime, sed reliquæ ejusdem radicis partes, & flores & fructus
simil productos habebant; sicibus Europæis in figura, sapore, & colore, nisi quod tan-
tillum maturi rubescerent, prorsus persimiles, vocabuli non recordor, plurimum admi-
natus fui, in illo, opposito nobis mundo oppositum modum fructificandi reperiri, antido-
tum profecto arbor illa propterea meretur appellari. Nascitur etiam in Indijs arbor
Ka-giu, nomine, quæ bis in unius Ami duplii aestate producit fructum, pomum Euro-
pæum flavum aut rubrum in figura imitatur, extra ordinarium hoc habet, quod nullum
semen, aut nucleum interius, sed extra in Capite fructus gignat, qui elixus Castaneam
nucem & amigdalina sapit. Sanè non solum ex ramis arborum sed ex trunko, sed ex
ipsa radice sine folijs & floribus Deus voluit progenerari fructus, ut omnia illius volun-
tati & sapientissimo ordini subesse mortales intelligerent, illumq; supra Leges naturæ,
universorum esse Dominum cogitarent; si igitur specie & pulchritudine fructuum de-
lectamur, speciosiorem ac pulchriorem illorum Creatorem considerare debemus; si suau-
itatem, odorem, & proportionem admiramur, suauissimus & formosissimus longè existit
ille, qui fecit; si varietatem, magnitudinem, & copiam suspicimus, Opifex creaturæ
opulentissimus & ditiissimus est; à magnitudine & specie Creaturarum cognoscibiliter
videri Creator potest, inquit Sapientia cap. 13. Cæterum modus arbores propagandi
tam apud Indos, quam apud Sinas triplex est. Primus per seminum defensionem; solent
Sinarum Hortulani aurea poma, quibus nullibi creduntur esse præstantiora (quod eo-

rum Cortex & pellis foliculorum sit dulcis) integra defodere. Similiter faciunt cum alijs fructibus; & postea virgulta ex seminibus pullulantia ab invicem se juncta disponere, breviq; tempore magnas arbores, & optimos fructus assequuntur. Subinde inferunt eadem plane ratione, sicut & in Europâ ramos, nisi quod non solum arbores, verum etiam flores per insitionem curant propagare, & vertente sole, unicum florem multos alios diversarum figurarum, & colorum continentem, per hunc secundum modum faciunt producere. Tertius modus est Arbores propagandi, qualem in vitium propagatione cultores vinearum adhibent, interdum aliquarum Arborum ramos, ut Manga Goyava, interdum sola folia, ut Papaya, iniiciunt terre, & cito in Arbores magnas excrescunt. Observationem autem illud diligentem meretur, quod quas Arbores, cuiuscunq; tandem illæ sint generis aut speciei, citò volunt Sinenses exurgere & fructus producere, ramos illarum grandes abscissos, die qua Sol in quindecim gradus Arietis ingreditur, in Terram defodiunt, edoctiq; experientia ramos ejusmodi plerumq; feliciter radices agere intuentur, nimirum solum illam unicam diem in Anno, adhuc idoneam esse vel observârunt, vel per traditionem antiquorum acceperunt, ut sarmentum, qualis cunque tandem Arboris sit, infixum Terræ, si ab illa eo tempore recipiatur, in ramiferam & frugiferam, celeriter posse Arborem excrescere. Nullum hic pictum videbis fructum Europæum. Studeo quoque omnes illos Indicos pingere, quos passim Mappæ circumferunt, & aliquos Sinicos, quos necdum vidi. Libellus præcipuus Indiarum & Sinarum fructus & arbores, alias etiam Aromaticas, & non nulla animalia, quæ Sinenses præter nostratia habent, tuis humanissimis oculis obijcit. Vale humanissime Lector & saltem oculos, si palatum non potes, recrea, universorumque Creatorem ex illius admirabilibus operibus contemplare.



YAY CV. PALMA

Perfica & Indica seu Sinica, quæ vulgo Coco
& Nux Indorum.

Duplicis est generis Palma, illa quæ Dactylos & Tameris producit in Suria, Arabia, Perside, provenit uberrime, sexum observat diligenter. Nam solum Arbor fæmina fæcunda est, si nimis proximam Masculam habeat Palmam, sine qua tantum abest quod possit fructificare, ut etiam florere detrectet; solent incolæ, ubi primum floruisse utrumque sexum adverterint, flores Palmæ masculæ floribus alterius sexus apponere, hac enim sola ratione foemina Palma fructum potest generare, interim remanente mare Palma, cum in eodem solo reperitur, florifera, sed nunquam fructifera. Fructus, qui non usque quaque maturi, colliguntur ex Palmis, Dactyli dicuntur, & duriuscili fiunt, at si tardiusculè decerpantur, molliores evadunt, & Tameræ vocabulum nanciscuntur. Hæc planè genuina est causa, cur elatissimæ Dactylorum Palmæ, folijq; pulcherrimæ, saepius steriles esse reputentur, quod scilicet illi, qui curam illarum habent, aut relatam supra diligentiam omittant, aut nesciant; quam in illis partibus, cum iter ab Sinis in Europam peragerem, accuratissimam fieri & audivi & perspexi. Inde clarissimè liquet, cur in Italia quædam multorum annorum Palma, cum sine floribus esset, repente tandem floruerit, quod videlicet procerioris naturæ per ætatem facta, aliam distantissimam Palmam conspexerit, & naturali sympathia debitum sexum repræsentârit. Hoc genus Palmæ Orientales Indiæ & Regna Sinarum non habent, quamvis existimem utробique observatis diligentij abunde posse provenire. Mel & vinum & saccarum faciunt ex Dactylis & Tameris, & si justo plus edantur, corpus humanum suaviter purgant. Aliud genus Palmæ, quod appellatur de Coco, in zona tonida, vel prope illam solum

poteſt fructificare, Indica tellus & Australes Sinarum terræ, ac insulæ Cocorum copiam habent, poſſe verò alibi quoque arbores iſtiuſ Palmæ ſeminari (non enim per iñſertionem propagari queunt) & crefcere, dubium nullum eſt, ſed ſine fructu manent, quod hic calidiflammam & humidiflammam auram requirat, immo nec in omnibus partibus Zonæ tonidæ fructiferas eſſe compertum eſt: nam quæ locis arenofis aut maritimis vicinæ non excoluntur, penitus nullum fructum adferunt, vulgo quoque dicitur, Palmas de Coco ſine humano halitu in defertis ſterileſcere. Arbor Indica Palmæ in folijs, ſtatura, medulla atque radice nihil diſſert ab alia palma, niſi quod Persica & Arabica in haſta seu trunco, corticem ſimilem carduis vulgo Carciochis refert, cum Indica læviffimum, quæ fertilior etiam evadit ſi ſtercore bovis aut cinereâ terrâ impinguetur.. Vnum Cocom pro unica Palma (ita fructum vocant) terræ commandant, & ſenſim arbor crefcens, non niſi ſexto aut ſeptimo incipit anno fructificare. Si ejusdem arboris flores à ramo præcidas, atque vafculum bene obturatum appendas congruè, iſtillat dulcissimum liquorem, non aliter quām ſi de collo prodiret Alembici; liquor Sura vocatur, ex quo vinum fortiffimum, quod ardere iſtar cremati poſteſt, poſtea deſtillant, ac per vniuersam Indiam bibendum diſtrahunt; illa tamen Palma non amplius Cocos, ex illis ramis & floribus progignere poſteſt. Arbor idcirco Palma de Sura dicitur, & ab illarum multitudine Palmetum de Sura.. Palmæ autem de Coco, quæ Cocos ex floribus gignunt, fere ſtatim atque deponuntur, fructus alios incipiunt germinare. Cocus huma-num caput magnitudine ſuperat, viridis coloris corticem habet, & non omnino rotundam, ſed potius refert trilateram figuram; tenerum ſi fructum colligas, poſt viridem corticem, pulpam albam & in medio rotundum nucleum cavum & molle (qui amplitudine ovum ſuperat ſtrutionis) aqua dulcissima repletum reperies, quæ in æſtu Indico potum ſuaviffimum præstat, diciturq; ille Cocus ab Lufitanis Lania; at ſi maturescat omnino, viridis ille cortex, in Castaneum colorem mutatur, & alba illa pulpa, in ſimiliter coloratum ſtamen, (Cayro Lufitani appellant) ex quo funes fortiſſimi & maxi-mi ad ipsas anchoras navium contorquentur, li-

gneum postea interius receptaculum, quod Coco vocatur, medullam sibi interius adhærentem, instar nivis albam, & in sapore nucibus dulcibus vel amygdalis saccharatis persimilem (ob quod credo Cocus Nux Indica dicitur) solidam defert, aliquid etiam de aqua dulci, vel subacida, quæ interdum aceto conficiendo inseruit. Nam ex medulla oleum de Coco præstantissimum exprimunt, vinum quoque ad instar ustibilis eliciunt ad ignem, saccharum item, quod Lusitani Giagra nominant ; excerpunt, tragminibus verò cavis Coccorum pro Cochelaribus utuntur, ex illis in Haynan Sinarum Insula parvulæ pateræ & majores per Tornum fiunt, quas ad intra auro vel argento obducere solent, & in Sinarum interiora maximam inde Cocorum copiam exportant. In Indijs & præcipuè Insulis Maldivis, navigia ex Arboribus Palmarum conficiuntur, & omnia vasa necessaria ad navigandum, ipsa folia non solum sportas, storeas ac vela subministrant, sed & Domos instar tecti cooperiunt, nihilq; in hac Arbore reperiatur mutile, nisi sola radix, & qui Palmeta magna habent, redditus etiam magnos ex illis colligunt. Parvuli Coci inveniuntur in Maldivis Insulis, produeti in ipso Maris fundo à Palmis, vel quod crediderim, potius à vicinis dejeci Arboribus, & per æstus reciprocationem in Mare delati, atque per longum durefacti tempus, inveniri postea, in pretio habentur, eo quod credantur esse antidotum contra venena, & cordialem præstare medicinam, si attriti cum aqua ebibantur.. Imaginem Persicæ Palmæ & Indiae supervacaneum duxi apponere, quod illa in Libris, hæc in Mappis facile videri possit.



PIM LAM.

Fructus Areca & Bethel folium.

AReca Arbor simillima Palmæ, nisi quod magis patula folia, altioremq; hastam & subtiliorem habeat, floriferum ramum, sicut & Palma, de medio foliorum ejicit, ex floribus ovalis figuræ viridis Coloris, magnitudine nucis avellanæ fructum producit, qui amota albâ pulpa, & viridi cortice, carnem in colore, humanis unguibus simillimam, sed mollissimam habet, quæ tamen quando maturescit & ficcatur, rejecto cortice & stamine Castaneo, fibris rubris referta appetet.

Folium Bethel, omnino simile Piperis folio, aromaticum est, & solum si comedatur, stomachi cruditates corrigere potest, serpit viminis ad instar, arundinibus sustentatum. In universa Orientali India, & Insula Haynan, quatuorq; Sinenibus Australibus Regnis, Quamsy, Yuunan, Quamsum, Fokien, Arecæ fructus cum Bethel folio usus maximus viget; obvij deferunt in sacculis unum, & mutuo sese invitant. Tunchini verò loqui cum alio non potes, quin primo Bethel & Areca oblatæ recipias, & eodem modo tu quoque vicissim rependas illam urbanitatem: verum in hac Regione sæpe toxicum infertur fructui, ideo pleriq; magni, qui timent venenum, alieno seposito fructu, proprium viva calce, ex ostreis adustis præparata, injunctum commandunt. In Regnis Indusstan, Cocino, & Mogol, Divites Indi gemmea calce, ex Algrofar confecta illinunt Bethel folium, complicatumq; cum fructus Arecæ medulla, sive recenti, (quæ mollis) sive sicca (quæ dura) ori impositum, magna cum sua voluptate masticant, & succum primum, sanguineum referentem colorem expuunt, sed sequentem ex iterata masticatione expressum deglutiunt, atque sic commansum & exsuctum folium, cum Areca ex ore proiecunt: fit inde ut per diem integrum labia rubentia nec ingratii aspectus appareant, ac etiam os bene redoleat. Asserunt per hoc stomachi calorem plurimum roborari: Qui assueverunt duo prædicta sumere, difficile sibi possunt ab illorum esu temperari. Medici areca subinde in medicinis utuntur; in Japonem & alias vicinas Regiones, in quibus non nascitur, sicca venalis portatur. Imaginem Arboris neglexi apponere, quod similis sit Palmæ, Bethel verò folium, piperis & persimile folio.

PROLOQVIVM

Floræ Sinensis Lectori.

Siste gradum Lector.

 Bliteratam IESV Christi Servatoris nostri in potentissimo Sinarum Regno notitiam, Deletamque longissimi temporis intervallo ex Hominum mentibus Christianam legem, postliminio revocarunt, restauraruntque denuo Patres

Societatis Jesu

Pluribus Deo vivo ac vero
in Sinensi Regno templis erectis, magnoque
Christianorum hactenus numero cultis,
ac pietate summa celebratis:


Viri illi Spiritu Apostolico pleni,
Hortum Sinensem, vineamque novellam Domini etiamnum studiosè illic excolunt, & Animarum saluti lucroque;
sedulò invigilantes ubique gloria Cruci trophya erigunt, eoque efficiunt, ut Jessæus Flos in Sinensi
Horto gratissimum spiret
odorem.

Hoc te volebam Lector,
Vale
Et Floræ Sinensi
Fave.

i. Arbor Papaya


Canna

A



Fan 支

yây 榆
xu 树



Fan
yây

Kô

çú

支

榆 果 子

idest

Fruct



A
FAN YAY CV.
Papaya.

Fuctus & Arbor in India Papaya, à Sinis Fan yay çu dicitur, copiosè in Sinarum Haynan Insula pro-gignitur, nec non in Iunnan Quam Asy, Quantum, Fol-cien, Australibus Provincijs; Arbor ex ipso trunco, qui porosissi-mus est, multos producit Fructus, singuli magnitudine supe-rant magnum Melonem, interiùs carnem habent rufam dulcif-simi saporis, adeoque mollem, ut cochleari possit accipi, frigidæ pu-tantur esse qualitatis, pruritumque Carnis, si multum quis de fructi-bus ipsis edat, compescere, generationiq; obstare. Propullulat & ex seminibus sui Fructus, & ex virgultis, quæ ad radicem progerminat Arbor: Sæpè videntur in eadem arbore & flores, similes lilijs gemmantes immaturi & virides fructus, & maturi flavescentes. Extraordinarium habet, quòd ramos nulos gignat, sed sola folia in vertice, & quod ex trunco, vbi illa incipiunt, albos flores, atque ex illis fructus producat. Nullum tempus anni, maturitati de-terminatum habet, & ea propter quolibet mense maturi aliqui fru-ctus possunt reperiri. Tamen Decembre & Ianuario plures ex fructibus in Indijs maturescunt; si verò folium vel partem trunci terræ inijcias, agit radices facile, celeriterque in Arborem mag-nam excrescit. Fructus & folia Arboris atque ipsa Ar-bor onusta fructu gratissimum aspectum con-ciliat Vniversis.

Musa
i. Arbor Ficus Indica

B
& Sinica



Pá
cyāo
xū
芭蕉樹


Pá
cyāo
Kó
çú
芭蕉葉子
Fru
tus

B
P A - C Y A O.

Ficus Indica & Sinica.

Ficus Indica Sinicè pronunciatur Pa Cyao. Arbor trun-
cum habet grossum & viridem, qui si quidem multo abundat humore
aqueo, solidus non est, sed quasi ex contortis grossioribus folijs consta-
ret videtur rotundus. Folia viridis clari coloris, sunt longa novem Pal-
mis, lata duobus & dimidio, vnicum ramum de medio foliorum simul cum flori-
bus producit, qui in ficus sensim excrescunt, & aliquando vltra mille in illo vnicō
ramo reperiuntur; ad quem ferendum cum illis homo vix vnuſ sufficit. Ficus ali-
quæ parvæ, aliquæ maiores maximo digito, aliquæ palmum superant, prout à ma-
iori vel minori grossitie rami producuntur. Semel tantum Arbor in Anno gignit
ramum floridum, & ex illo postea fructus. Ex seminibus, quæ reperiuntur, in
ipso Fructu propagatur; interdum, & multo celerius, ex plantis, quas Arbores, vna
pone radicem ipsam progenerant, solent, si sunt plures plantæ, transplantari: Ple-
rumque sex mensium spatio, ramus & Fructus progignitur; hæ fucus si in ipsa ar-
bore & ramo maturescant, suaviores sunt; flavam pellem habent, carnem & mol-
lem, & dulcem, & albam, & odoriferam, videnturque sapere condita saccaro fra-
ga. Scissus per latum fructus, crucem similem quam refert pepo, repræsentat.
Sæpè ramos cum viridibus & adhuc duris, seu crudis sicubus præcisos in domo
appensos, tempore ipso, interdum in oryza dēmersos, maturescere faciunt, &
mollitiem, colorem, saporemque acquirere procurant. Aliquando singulis cal-
cem superimponunt, & ea ratione maturitatem accelerant. Elixæ, aut in melle
aut saccaro coctæ, posteaque desiccatae, Colericis Phlegmaticisque prosunt; folia
deserviunt medicando corpori adusto. Integro anno fructus iste reperitur in
Indijs, & apud Sinas in Regnis Australibus, nam in Borealibus folia quidem am-
plissima profert, sed fructum non item. In Brasilia fructus vocatur Ba-nana, in
Damasco Musa, arbusti potius nomen, quam arboris meretur. Medio fere anno
& arbusti statura, & rami floridi productio, & maturitas fructus, perficitur. Re-
fecto ramo vel ex illo deposito fructu non alium amplius aut ramum aut fructum,
eadem arbor producere potest, idcirco siccata, vel eruitur, vel recisa offertur Ele-
phantis in cibum, neque finitur occupare locum vel officere alijs suæ speciei plan-
tis, avocando ad se humorem illis debitum. Integro anno, præcipue apud In-
dos, reperitur & comeditur hic fructus, licet enim sex menses requirat ad sui
productionem & maturitatem, tamen quia nullos menses anni, vel tempus deter-
minatum postulat, singulis mensibus & produci & maturescere potest, proinde fit

vt eodem mense alicubi jam sit matus fructus, & ibidem alia arborramum
cum floribus gignat, & ibidem alia, explicare folia incipiat,
vel pullulare.



欖 Kiā Ka ^{feu}
枝 giū giū
樹 xú i.Arbor

欖如茶子 Kiā Ka
giū ^{feu} giū
Fru
tus
樹子 Cu

Semen carnosum

Seu Kagiu, Fructus Indicus.

Kagiu seu Kagiu apud Sinas non reperitur, verum in Regnis, quæ Sinarum olim fuerant abundantanter provenit: & crediderim allatum in Junnan & Quam si atque Insulis Sinicis posse produci. Arbor est magna folijs pulcherrimis, & semper virentibus. Fructus imitatur pomum, flavum vel rubicundum, ubi maturescit odoriferum, verum pomi succus agrestis est, & caro si comedatur guttur mordet. Duabus vicibus apud Indos in eodem anno fructum gignit, ex flore primo semen, & producto semine postea pomum educit, quod stomachale & corroborativum est ventriculi, si cum vino vel sale comedatur. Interius hic fructus nullum semen habet, sed in vertice illius ad instar nuclei prominet, quem cortex glaucus, albam carnem & solidam recondens, instar castaneæ vel amygdalæ nucis cooperit, saporem earundem si elixetur referens. Indi & Lusitani nucleis dictis loco Amygdalarum ad conficienda dulciaria interdum utuntur. Februario & Martio, Augusto & Septembre mensibus maturescit.

D

Raphadum

E



荔枝 Li'

枝 Ci

葉 Fruit's

樹 Arbor



D E
L I - C I L V M - Y E N.
Fructus Sinici.

Icī & Lumyen Arbores atque fructus, solum apud Sinas reperiuntur, atque non nisi in aliquot Australibus Provincijs. Li-ci fructus corticem sicut depictum vides, in modum piniferæ Arboris fructus refert, sed Lum-yen laevissimam pelliculam habet, vterque sapit fraga & vuas. Sinenses siccōs fructus hyemis tempore venales deferunt in alias partes. Vinum etiam ex fructu vtroque suave conficiunt. Julio & Junio mensibus maturescunt; illorum nuclei inserviunt pro medicina. Sinenses pulverem ex illis factum bibendum præbent ægrotis. Si dicti fructus sint sylvestres, nucleos grandes & de subacida carne parum, si transplantati nucleos exiguos, & de carne dulci plurimum habent. Caro est coloris vnguium humanorum, vt autem pluribus diebus conserventur recentes, salita aqua depositi ex arbore asperguntur, & durant multorum dierum spatio, abstractoque cortice, recentium saporem fructuum præstant, Li-ci creditur esse fructus calidæ qualitatis Lum-yen vero temperatæ.



猿
波
樹

Giant
po

xii Arbor.

猿
波

Giant

po

Kō Fru-

çú et,

Eugenia

F
G I A M - B O.
Fructus.

GRBOR & fructus Giam-bo, Duplicem habet speciem. Nam & rubri & albi coloris in Indijs & subflavirasarum fragrantium redolens odorē; in Malaca, Macao, & Sinarum Insula Hiam-xan reperitur. Prior species florem purpureum, posterior alboflavum habet; Truncus & rami cinerei coloris, folia pulcherrima lævia ac vno palmo longa, triumque digitorum lata sunt. Fructus ipse magnus planè sicut pomum, frigidissimæ Qualitatis, albam, subtilissimam, & spongiosam Carnem, quæ nec prorsus dulcis, nec prorsus acida, continet. In eodem ramo flores, fructusq; virides atque maturi alij simul videntur. Solent illos in principio prandij comedere; sitim nimij æstus tempore extinguunt egregiè, pro febribus & colericis morbis, ex hoc fructu conservam (vt vulgō vocant) præstantissimam faciunt in Indijs: loco seminis rotundum nucleum recondit interiùs; eius caro solida viridis est cooperta pelliculâ, fructus aspectu pulcher, vel totus ruber, vel totus albus, vel partim rubeus, partim albicans. Verūm Giombo flavi coloris, duos nucleos, aut potius vnum in duos distinctum recondit, & coronam malo granatorum, vel vt propriissimè loquar, rosarum, cum fragrantissimo odore refert. Caro illius dulcissima & porosissima est. Rubei coloris Giambō apud Indos Novembri & Decembri, Flavi autem, alicubi Martio, alicubi Iulio mensibus producuntur.


i Fructus

文 Fān

波 pō

羅 Io

密 miē



G



筳子 Kō
çü

ab Indis

Ananas

文 Fān

pō

Io

羅

密

XII, 1 Arbor



Ananas

G
FAN - PO - LO - MIE.
Seu Ananas Fructus.

Dictus Fan-po-lo mie ab Sinis fructus, ab Indis Ananas appellatur, in Australibus Regnis. Quamvis, Iunnan Folcien, & Insula Haynan, provenit abunde; ad Orientales Indias ex Brasilia dicitur fuisse apportatus. Folia & radicem Cardui, vulgo Carciochorum habet; Fructus cum primum nascitur, mille coloribus variegat' resplendet, sed cum maturescit, solum flavum & rubicundum conservat; semina paucissima, quae dispersa in illo rarissime reperiuntur, nigri sunt coloris, & talia plane sicut in pomo, quae defossa producunt alios fructus. & hastula etiam, de qua fructus eminet, vel surculus ab illa productus, immo vero ipsa folia, quae ex vertice fructus prominant, abscissa, si in terram defodiantur ad eiusdem speciei fructum, vertente sole producendum, sufficiunt. Magnus palmum & medium superat, carnem flavam, spongiosam, & abundantem succo habet. Odorem matus suavissimum spirat, saporis est dulcis, & tantillum subacidi; Dicunt fructum esse calidissimae qualitatis, quod nimis succus illius ferrum corrodat, quasi vero Citrij pomi frigidissimus liquor idem non efficiat. Ego profecto existimo frigidissimae esse naturae, & expertus sum febricitantibus posse exhiberi. Apud Indos & Caphres, Februario & Martio, Apud Sinas Iulio & Augusto mensibus maturescit. Iam conservam ex hoc præstantissimo fructu conficiunt, verum naturalem saporem, in illo non vsquequaq; conservat. Nescio sane, an sapore & figura, non omnibus alijs Indicis fructibus antecellat, hic illum, prout nascitur, & cortice resecto, ad comedendum præparatur, proposui depictum..

H

Mankō

磨

Fruit?

果 Kō

& Arbor

樹 Kū

Mankō ab Indis

Manga

磨

Kō


果

Fruit

Kū

樹

Mangifera



Mangifera

Seu Manga Fructus.

FTiam apud Sinas Manko fructus, ab Indis Manga vocatus, in Australibus potissimum terris producitur uberrime. India plures illius species habet, si magnus sit, libras duas, interdum tres ponderat, & præcipue si lignatur ex Arboris ramo inserto Cedro arbori, à cuius fructu odorem & corrugatam pellem non ineleganter mutuat. Infitio in aliarum arborum truncos, vel ramos, non fit sicut in Europa: nam tantum præcisum à Manga ramum alligant alterius Arboris ramo, & luto opplet, fitq; ut rami per tempus coalescant, & fructus producant; qui cum maturescunt, coloris viridis alij, alij flavi, alij rubri sunt. Ex immaturis faciunt conseruam. Salitis præterea utuntur, qui gustum agrestem praestant. Nam maturi dulcem, flauam, & purpuream carnem referunt, & in sapore quovis alios fructus superant. Interius illorum ossiculum, sicut Bellota amarum, si comedatur, vermes encat ventriculi. Est etiam præsentaneum remedium contra fluxum ventris. Mensibus Aprili & Majo maturescit potestque conservari usque ad Novembrem. Credunt aliqui quoad saporem non illo præstantiore reperi ullibi fructum.



棍杷

pā

Kō En

子

棍

pā

Xúi

Arbo-

Eriobotrya

I
PI - P A.
Fructus.

Ficus lauris?

Arbor & fructus Pi-pa apud Sinenses nascitur, cum viridis, maturescit & ad flavum colorem declinat. Nostratia pruna sapore imitatur, Arbor pulcherrimis folijs & floribus conspicua, jucundum praestat aspectum. Officulum solidum & ovalis figuræ habet. Plerique colligunt fructum in Februario & Martio, dulcissimi est saporis, & pelliculam similem prunis continet.





ab Indis
& Lusitanis
Coyana

臭菜樹


臭
菜
子

Kō
Xú i Arb.

Chéu Kō

Kō Fru

Cír Elus



Psidium

K

CIEV KO.

Seu Goyava Fructus.

Ructus Sinicè Cieu Ko ab Indis atque Lusitanis Goyava nominatur, inassuetis Cimicum fætorem videtur redolere, revera tamen aromaticum acutum odorem fragrat, & ab illis ipsis quibus fætebat postea expetitur, cumq; stipticus & calidus sit, sistendo fluxui ventris, & stomacho corroborando valde prodest. Officula lignea & plurima interius, fere figuræ rotundæ recondit, ex quibus arbores propagari possunt, quod si etiam abscissum ramum in terram defodias idem & celerius obtinebis. Maximam Copiam fructuum rami producunt, & folia omnino oderifera gignunt, quæ si atterantur spirant grauius, & pro calidis morbis medicinalia esse creduntur vocatur à Lusitanis alio nomine Pera, quod figuram Pyri Europæi repræsentet. Apud Indos Novembre, Decembre, immò & reliquis mensibus reperitur.

Apud Sinas Macai præcipue Junio & Julio progeneratur.



L

ab Indis Giaca

Pō

Iō

miē

Kō

hs

波四維密葉果子

Fru-


etus

Pō

Iō

miē

XúiArb




Corticosperma

L
PO-LO-MIE
Seu Giaca Fructus.

ASinis Polomie & Giaca à Lusitanis vocatur fructus & Arbor quæ illud admirabile habet , quod vnum , duos , aut tres fructus miræ magnitudinis in trunko tantum producat . Sæpè singulis deferendis singuli homines sunt necessarij. Cortex Fructus pungit , atque si viridibus scateret sentibus : discissus verò , viscum album qui cellulis recorditos flavos & melleos fructus adglutinat , plurimùm defert , & præcipue ad interiorem cavitatem corticis . Nucleus illius (quemadmodum pictum vides) elixus Castaneam dulcem sapit . Fructus vnum , vel , vt verius dicam , plures in uno reclusi , decem seu viginti hominibus ad comedendum sufficere possunt . Figuræ est Ovalis , & magnitudine ac gravitate superat maximam Cucurbitam ; Neque abs re quidam saccum repletum melleis sacculis , recondentibus nuces Castaneas appellavit . Sapore Melonem præcellit . Caro illa melior , quæ durior , diciturque à Lusitanis Cocobarca . Maturuisse fructum coniunct , si illius cortex sit mollis , nam si adhuc durus sit , vel in arbore illum finunt maturescere , vel depositi expectant cum tempore mollitiem & maturitatem .

Majo & Iunio sine floribus gene-
ratur ..

M



柿餅樹

Sū

pīn

Xū i Arbor

M
S V - P I M
Fructus Sinicus.



Rbor & Fructus Su-pim apud Si-
nas tantùm nascitur, est & Aurei & Pur-
purei coloris, magnus Pomum excedit,
Carnem mollem & rubeam cum simili
pellicula refert; ossicula hinc inde interius
abscondit; cum siccatur ficubus Europæis simillimus
est, & per multos annos conservatus, à Sinis Medicis
sæpenumero in pharmacis adhibetur. Egregius pro-
fectò fructus, in Quam-tum & Junkim Regionibus, Ja-
nuario, Februario, & Martio, sed in Xen-sy, & Ho-
nan, alijsque septentrionalibus Junio, & Julio, & Au-
gusto maturescit. Arbor onerata Purpureis hisce Po-
mis, gratissimum exhibit aspectum, quæ ne ab
avibus decerpantur, continuis vigilijs
custodiuntur..



亞大菜子
Yâ
tâ
Kô Fru
gu aus

N



亞大
Yâ
tâ
桓 Xian Ar

N
Y A - T A
Fructus.

Ructus & Arbor Ya-ta in Indijs & potissimum Agro Malacensi reperitur, qui Sinis olim tributum pendebat, ideoque Sinicus fructus optime dici potest, & quod etiam in Sinense solum translatus vberimè germinet; viridem corticem & piniferum habet, sed interius carnem liquidam nivis ad instar albam, sapore superat dulciarium, quod Lusitani appellant mangiar Reale : in multis cellulis officula nigra solida recludit; alicubi Octobre & Novembre, alicubi Februario & Martio Mensibus maturescit. Quanto major fructus, tanto melior & pretiosior putatur.

R

Cinnamomum

O

桂 Quiey

皮 pi'

樹 Xii.i.Arbor

菓子 Kō Fru' i



樹 Xii.i.Arbor

菓子 Kō Fru' i

子 çu Fru' i

土 Dū

利 ri'

猿 ain

O DU-LIAM Fructus.

ARBOR fructus Duliam in Java, Malaca, Macaia (vulgò celebe) & Siam Regnis ac Insulis olim Tributarijs Sinarum reperitur, Acutis ad instar Giaca, ipse & ejus folia atque cortex Arboris sentibus scatent. Cepas coctas comedentibus primùm redolet, verùm sapor illius postea dulcis, quod vulgò Lusitanis Mangiar bianco vocatur, suavitatem superare videtur. A nonnullis præponitur omnibus alijs fructibus, & quamvis maxima copia illius proveniat, pretiosus tamen est. Caro illius alba, & si valde sit maturus fructus ad flavum colorem declinat. Nucleum similem illi, quem in Giaca spectasti depictum, recondit, ex cuius cinere lixivium & simigma optimum conficiunt. Qui fructus tria receptacula continent, præponuntur illis, qui habent quinque. Maturum communiter pedibus solent rumpere ob spinosum corticem. Fructui eidem Betelis folium inimicissimum est: si enim reponantur simul, Duliam statim corrumpitur. Propterea qui comedunt multa talium fructuum inflammari se sentiunt, folium si vnicum Betelis comedant, inflammationem penitus extinguunt. Iulio, Augusto mensibus maturescit. Sicca caro fructus instar lactis coagulati in alias partes deportatur venalis, quæ nucleum interius ad modum albuminis ovi cooperit. Folia Arboris medium Palmum excedunt.

Descriptionem Cinnamomi vide infra sub Littera I. 2.

P



Fruitus intominate

Innominatus Fructus.


Innominatum vocavi fructum, quia
 illius nominis Sinici non memini. Vidi il-
 lum primum in Insula Sinarum Haynan,
 & postea in Provincia Quam-tum. Ar-
 bor Procera, folia maxima, quæ medium hominem
 contegere possunt, producit; hoc admirabile habet,
 quod media radice telluri inhæreat, ex alia autem par-
 te radicis patente, flores rubros & simul fructus, simi-
 les Europæis ficubus progenerat, qui cùm maturescunt,
 rubent paululùm; sed interior caro & sapor illorum fi-
 guram & saporem ficuum repræsentat. Julio & Au-
 gusto maturescunt. Sunt præterea alij fructus, apud
 Sinas, quorum nomina non me fugiunt, sed quod nec-
 dum figuram & saporem illorum perspectum habuerim,
 studio relinquendos judicavi, vt infra monui. India-
 rum verò reliqui fructus Orientalium, vti Giangame,
 Giambolane, & Carambole, non sunt tanti mo-
 menti, vt illorum habeatur specialis de-
 lineatio atque descriptio.



A detailed botanical line drawing of a plant. The upper portion shows large, ovate leaves with prominent veins and clusters of small, round flowers or fruits. The lower portion shows smaller, more pointed leaves and a thick, textured stem. A large letter 'T' is printed across the middle of the plant.

Piper

葫椒 Hû
cyao

Sinhas
China

侯欒 Fô
林 Lîm
樹 Xüe. Arbor
根 Kén. i. Radix

AROMATICÆ ARBORES.

Q

PIPER.

Sinis Hu cyao. Dicitur, & æstimatur, in Junnan & subje&is Insulis illorum Imperio nascitur, & præcipue in Iava, & Borneo Malabarumque sylvis, serpit in star farmenti, & nodos sicut vitiis habet, ex quibus singulis producit folia, & à parte interiore obscurā, & à parte exteriore viridia. Si masticentur, mordicant linguam; ferunt sexum in pipe re reperiri: folia quæ distantes fibras in ordine æquāli habent, fæminam repræsentant, quæ verò in ordine inæquali masculum. Differentiam prædictam sexus & foliorum diversitatem in uno eodemque faremento spectare licet. In sylvis aliud, aliud in hortis nascitur, & cinere simoque boum impinguatum, in tantum excrescit, in quantum & arbor cui innititur. Radix Piperis exigua in terræ superficie hæret, ex quolibet folio ejicit vnum racemum, maximus continet quinquaginta grana, minimus triginta. Viride dulce est, nam interius melleo liquore illitum est. Incolæ neandum maturum, sale & aceto conditum comedunt. Longum Piper oculorum morbis, & contra venena inservit. Nigrum ab albo differt, quod folium tenerius, meliorisque saporis habeat, verum tamen nigri piperis folia, dolores colicos, & ventris frigidos morbos si applicentur cum oleo decocto abigere possunt. Semper Piperis racemi in faremento virent, Decembre vel medio Ianuario maturescunt, collectique in Sole denigrantur. Si aliquis Piper immaturum colligat, citius corrumpitur. Grana racemorum, simillima sunt Iuniperi granis. Piper est calidum, provocat vrinam, digerit, resolvit, clarificat visum, morsibus ferarum medetur, extirpat mortuum fætum, cum Iulepe sumptum tuissim sedat, cum melle squintiam; cum folijs lauri torsiones ventris tollit, cum aceto autem apostema & duritiem Lienis, & si sumatur cum uvis passis, suaviter purgat capitis phlegma. Descriptionem radicis Chinæ, vide sub littera I Columna 3.

S

Rhabarbarum

matur

甘 Kàn

茶 Tay

莖 huām



太 Tay

苦 huām



RHABARBARVM.

Vanquam hoc in vniversa Sina nascatur, in Provincijs tamen Su-civen, Xensy, atque Socieu civitate ad mauros Sinarum proxima vberius provenit. Illam M. Paulus venetus Socir appellat, vbi Mauri qui cum Caravanis in Katay (hoc est Sinas) & Cambale (hoc est Pervinum) profiscuntur, subsistunt; quo etiam olim cum illis Benedictus Goez Lusitanus e Societate Iesu quærēns Cataylum per venit. Terra in qua gignitur rubra est & lutosa ob fontes & pluvias, folia proratione plantæ magis vel minus duobus palmis longa, infernè angusta, superne ampla, limbus illorum lanuginem pilosam habet, quæ tamen mox ubi adolescunt & maturantur, marcescuntque, flavescent, & in terram declinant. Truncus supra terram vno palmo cum folijs supereminet ex quorū medio, ramus subtilis, onustus floribus (violis magnis non absimilibus) exsurgit. Qui succum expressum instar lactis cœrulei habent, odorem acutum, & quem nares fastidiant redolentes. Radix seu caulis quem terra recondit, & longus vno, duobus, & aliquando tribus palmis, illius color æreus subobscurus, sèpè grossitie humanum brachium adæquat, alias quoque radices tenues & circum circa projicit, quibus resectis Rhabarbarum divisum in frusta, carnem inter diù flavi coloris rubeis referat venis ostendit, ex qua succus flavus & rubeus aliquantulum viscosus distillat. Porro si quis statim illa frusta humida ad siccandum appenderet, experientia docuit vntuofum illum humorem mox evaporare, radicemque levissimam remanere, adeoque omnem virtutem deperdere. Ideo periti recentis Rhabarbari frusta, primo in oblongis repunnunt mensis, & qualibet die tribus aut quatuor vicibus ea revolvunt, vt per hanc industriam succus incorporetur frustis & constipatus maneat; tum verò quatuor dierum spatio concreto humore, transactis per frusta illa funiculis, appensa vento exponunt, loco tamen vmbroso, ne radijs solaribus contingantur. Effodiendo Rhabarbaro hybernum tempus est optimum, antequam viridia folia incipiunt pullulare, quod scilicet eo tempore (circa mensis Maij initium) succus & virtus unita & collecta sit. Quod si verò Rhabarbari radix effodiatur æstate, aut illo tempore, quo viridia folia producit, vti necdum hoc tempore maturuit, flavoqué illo succo & rubeis venis caret, porosaque ac levissima est, ita ad perfectiōrem Rhabarbari hyeme effossi, minimè pertingit. Currus humidis adhuc Rhabarbari caulis onustus, vno scudo & medio venit, siccatum verò tantum pondere suo decrescit, vt ex septem libris recentis, siccii vix vna vel altera libra obtineatur. Recens ac viride amarissimum est & gustui maximè contrarium.

Sinice vocatur Tayhuam quod significat
summè flavum.

R

GINNAMOMUM.

Hoc Sinenses Kuey pi vocant, in Provincijs Quam tum, Quamsi, & Tunchin provenit, sed melius omnium in Ceylan Insula, (cui olim Sinenses hoc vocabulum ex multis navibus confractis imposuerant) progeneratus.

Folium Cinnamomi tres nervos coloris viridis habet, flores albos & parum odoriferos, fructu cum nucleo similem olivis, qui dum nigriscit tempus decorti candae Arboris Cinnamomi advenisse colligunt. Prædictus fructus est vnuosili liquoris, redoleat Laurum, sapor illius acutus & amarus. Arbor ramifera duos cortices gignit, secundus & Cinnamomum, qui arbore detractus, in terra a Sole siccatus colorem lateritium acquirit, nam illius naturalis cinereus est. Tertio quoque anno in locu abstracti corticis novu producit. Olim Sinenses ex Ceylan Cinnamomum deferebant Ormuзium, & inde Alepum Syriæ atq; in Græciam deportabatur. Ignari ex Æthiopia & Ægypto illud venire credebant; cum tamen in illis Regionibus non nascatur. Sæpe quadringenta navigia Sinensia appellebant ad Sinum Persicum, aurum, sericum, gemmas, muscum, Porcellanas, æs, alumena, nucem niuscatam; atq; Garyaphilla deferentia & præcipue Cinnamomum, cui Mercatores, a Sinensibus alias dicto Arboris dulcis cortex imposuerunt nomen Cina- & momum, quod significat lignum Sinense dulce & odoriferum. Vix uno anno suam perfectionem primævam retinet. Radix arboris est sine sapore, olet camphoram, ex viridibus autem Corticibus distillant aquam, ex floribus, quæ non est adeò aromatica. Flores colicos & ventositates abigit; laxat vrinam, confortat cor, hepar, liuenem, nervos, cerebrum, etiam contra venenum ac morsus serpentum inferuit. Excitat appetitum, & comitalem amovet morbum. Ex fructu conficiunt vnguentum pro frigiditatibus; & adustum odorem spirat suavem. Si pulvis Cinnamomi bibatur cum aqua viperarum morsibus medetur, & internas renum inflammationes extinguit, maculas quoque faciei cum mollificativis applicitus tollit. *Cinnamomi figuram vide sub Littera G. 2.*

V

Zingiber

生 Sēm

姜 Kiām



T RADIX SINICA seu CHINA.

Radicem Sinicam Lusitani Pao de Cina, & in Europa China vocant, quæ tantum apud Sinas in Provincijs Yunnan, Quamsy, Quamtum, Kaoli, & Leaotum nascitur. Arbor spinarum asperitate, quibus ne folia quidem carent, conspicua. Arboris hujus Radicis teneram pulpam Sinenses cum Carnium jusculo comedunt, quæ etiam medicinalis est; contra Sciathicam, vlcera renum, oppilations, paralysim, & hydropisim, omnesque alios humores & ossium dolores, ac totius corporis eandem adhibent : & communiter quæ magis ponderat, melior esse censetur; alba rubræ præfertur. Pulvis radicis cum saccaro sumptus prodest pectori, & etiam in conserva adhibitus, non exiguo creditur esse adjumento. Radix à Sinis vocatur Pe-fo-lim, vsus & notitia illius pervenisse in Indias & Europam per Lusitanos dicitur Anno Christi 1535.

Figuram radicis Chinæ, vide sub lit: H. 2.

ZINGIBER.

Sem Kiam Sinicè appellatur, Folia gerit simillima Milio Solis & Regiæ hastulæ, videturque esse ad instar arundinis viridis. Apud Indos in Dabul, Bergala, Brasilia, & apud Sinas optimum & in maxima Copia producitur. Quod integro anno virescit, melius esse censetur. Radix illius longiori tempore durat, si colligatur Decembri & Ianuario mensibus, illiniaturque luto, hac enim ratione humiditas, constricta non sinitur evaporare, & pori aperti vermibus replentur. Quæ radix Zingiberis folia multa habet, & est amara, non esse bona censetur. Medici Sinenses Zingibere vtuntur in Medicinis, & quem ægrorum sudare volunt, aquam cum illo decoctam ferventem ad bibendum propinant. Qui secum radicem defert, creditur posse esse, immunis à morbis arteticis. Qui autem jejunus ex illo aliquid sumit, liber à veneno illo die esse putatur. Vulgo Conservam ex illo conficiunt, quam morbis ventriculi frigidis inferire est exploratum.



VX

Avis Regia

SINGIPER

Mas. 鳥 Fum. 烟

Fem. 雉 Hôam

Gallina syvestris

雉 Yé

鷄 Ki



X

F V M - H O A M.

Aves Regiae.

St Avis apud Sinas extremæ pulchritudinis, quæ si quando humano se subduxerit conspectui, sinistri id in Regia familia alicujus eventus omen habetur. Mas Fum, fæmina Hoam vocatur. Nidos habent in montibus Regni. Tan (est modo Leaotum Provincia Pervino confinis) in Capite assimilantur Pavoni. Sinicum carmen ait. Humeris virtutes, alis justitiam, lumbis obedientiam, reliquo corpore fidelitatem significat. Avis piissima, ante instar Rhinocerotis, Retro instar cervi graditur, caput Draconis in modum, brachia simillima testudini gerit, caudam sicut gallus, alas autem quinque pulcherri marum avium coloribus coruscas refert. Prædictas aves symbolicè depictas maximi Magistratus in vestibus auro depictas deferunt. Magnitudo illarum duos Palmos non excedit.

Y

Y E K I.

Ta Sinicè Gallina Sylvestris vocatur, egregias pennas & Optimum saporem habet, magnitudinis extraordinariæ. Habent Sinenses alias Gallinas, quas Ciam-viki appellant. Caudam pulcherrimarum plumarum sex palmorum longam deferunt & in Cauli seu Corea, Hensy & Quanfy reperiuntur. Alias etiam dictas Tōki quod significat Camello galinam, ob similem camello gibum, & album caput quatuordecem palmis.


Z

Xe Musci



Hiam Animal Muschi.


 Ittera Sinicè scripta Xe; Lusitanis Almiscar, Latinis muschum significat: hoc sumitur ex animali, quod Sinenses Hiam vocant: Littera, ut supra vides, ex duabus alijs componitur, nempe ex Littera XE, quæ supernè est, & Littera Hiam, quæ infernè: illa cervum, hæc odorem denotat, quasi dicas, Cervus odoratus: & reverà muschi animal simile est & cervo & tygridi, pilo sumque est, sed coloris ærei subobscure nigri. Porrò quod Sinenses propriè vocant Xe, & Lusitani Almiscar, atque Latini Muschum, est caro renum animalis suprà dicti, & id, quod natura infrà abscondit. Verum enim verò mercatores totam carnem animalis cum sanguine eiusdem commixtam, contundunt, & pappos: (ita facculos, ex pelle pillosà eius vocant, quasi forent testiculi ipsius) & hoc quoq; verum Almiscar est, licet sit non adeò perfectū sicut prius. Tertij demum generis Almiscar dicitur, & sæpè pro vero vendi solet: quod miscent cum sanguine draconis, & ex uno pappo faciunt duos & tres alios. Regula cognoscēdi inter alias esse dicitur, si videlicet adustum evaporet, verum esse creditur, quod si aliquid adinstar carbonis remanet, mixtum est & non simplex. Sinenses vtuntur pro medicinā muscho, & dicunt facilem partū reddere, doloresq; abigere parturientis, atq; etiam pectori prodesse male affecto, & humores abigere malos hæc certa sunt ex libris & vocabularijs Sinarum.



木
兔
Sum
Xu

綠
毛
兔
Lo Vin dium
miae alarium
quey testudo




Um Xu animal apud Sinas reperitur, flavi & nigri coloris est, pulcherrimi aspectus. Cicurant illiud Sinenses & collum argento exornant, mures egregie venatur. Sæpe venit septem & novem scudis. Hiven Pao est species Pardi vel Panthetæ. In Pellim provincia invenitur. Non habet illam feritatem tygridum Cacedæ HivenPao in aestimatione sunt & pretio apud Sinas non vulgari. *Figuram Pardi vide inferius.*

Lo Meo Quey.

ALatæ testudines in aliquibus provincijs Sinarum & præcipue in Ho-van inveniuntur virides, & interdum cæruleas adiunctas pedibus habet alas, & gradum tardissimum quam volatu aut potius quodam saltu extensis pedum alis compensat. Pedes alati hujusmodi testudinum in pretio sunt apud Sinas etiam ob raritatem. Cum essem in Insula Haynan, quæ antea audiveram Macai, oculis meis comperi. Sunt in quodam diæ insulæ parvulo Lacu Cancri marini vivi in aqua dulci non adeò profundâ, de quibus, mirum sanè dictu, id experientia docuit, quod ubi aliquem vivum de aquâ illâ extuleris in aërem is subito vitam & motum omnem perdat, lapidescat, servataque figura exteriori & interiorum etiam integralapideus totus evadat. Istos cancros lapideos medicinales esse certissimum est, nam fluxum ventris album, epoti, illorum pulveres cum vino, flavum & sanguinolentum cum aceto sumpti, sistunt. Oculorum dolorem, nebulas & maculas tollunt, imò febri citantibus subinde profund, & contra venena antidotum non vulgare præbent.





De Caballo Marino.

Aij má Sinici duo Charakteres marinum equum Significant; illū omnino sicuti equum cum jubā à Sinis depictum spectavi. Verum ex oris utraque parte prominentes, cornuum ad instar longos & ramiferos dentes habebat, ita illius figuram, (vt hic vides) Sinen-sium Pictores effingunt.

Duplex Schema veri equi marini subieci, quorum cum essem Mozambici in Africā, aut verius Capraria, greges ad litora marina in aqua non adeo profundā volutari pluries vidi. Quidam amicus, Civitatis Judex, vel, ut vocant Lusitanus, Ovidor, misit in Collegium nostrum animalis recisum caput, ut illud spectarem; habuit ab ore menfurando versus scapulas, tres cubitos, ex parte infētna duos recurvos maximos dentes, quibus superne similiter grossi sed longe minores aptè congruebant, ex parte inferna duos ibidem Oblongos, sed rectos ad labium prætensos, supra quos lingua expansa reclinabat. Cum vero postea à quodam Nobili Lusitano ad interiōra continentis Cafrariæ, è regione Insulæ Mozambici perlustranda fuisse invitatus, radentes littora maris in navi (quam remis 20. mancipia remigando propellebant) vidimus ad jactum vnius lapidis hinnientes equos marinos 50. qui modo omnes simul, modo aliqui in illa maris paryā aquā sese demergebant, & non injucundo nostro spectaculo iterum emergebant, sæpius postea alios non sine metu, ne videlicet in nostram navem, in quā triginta vehebantur aliqui irruerent, pertransivimus. E mancipijs nonnemo Cafer direxit sclopētum, in quandam ex bestijs marinis proximè voluntibus, & felici iētu frontem illius inter oculos ferijt, vnde perempta bestia ibi hæsit. Cum ergo postea reliqua animalia in profundius mare meridiano tempore recessissent, neque ille equus amplius hinnire aut volutari videretur, sed immobilis in loco maneret, Cafer cum socijs proprius accedens occisum reperit, quem & statim, non sine tamen difficultate ad nostrum mappale delatum spectavimus. Posteaquam autem carnem inter se Cafres divisérunt, dentes maiores extractos mihi obtulerunt. Pellis adeo dura huius animalis fuit, ut sæpius acutis lanceis suis Cafres illam perforare nequierint. Nullibi pilos habet, præterquam in extremitate caudæ, qui planè, atque si ex cornu nigro essent, pellicidi & flexibiles sunt, ideoque non facile rumpuntur, & cum grossitie calamum adæquent, ex singulis pilis armillas faciunt singulas, & plerique Cafres, Viri & fæminæ manus illis, (sicut & ex Elephantorum contritis capillis), adornant, ajunt à paralysi, qui illas armillas deferunt, imunes reddi.

Ex dentibus animalis solent in India, ac præsertim Goæ globulos precarios, statuas sanctorum, & etiam crucifixos confidere. Compertum quoque est dentes & ex illis coronas, sanguinis profluvium posse sistere. Verum non promiscuè Cujuslibet equi Marini dentes istam virtutem habere experientia docuit, proinde crediderim ego tempus aliquod certum observandum, quo equum marinum occidi necesse sit, ut illius dentes illâ virtute polleant. Aliqui, cum scinditur vena, sanguisque profluit, dentem, aut ex illo globulos precarios admovere solent, & ita, num virtutem sanguinis sistendi, obtineant, explorant. Scio & Goæ

In Regio Nosocomio (ubi centum & interdum ducenti ægri decumbunt, quibus tam Spiritualia quam temporalia P. P. Societatis IESV administrant) fuisse vnum ex maximis dentibus equi marini, ita ut quotidie à quolibet miraculum illud naturæ ibi spectari potuerit. Nulla enim ferè dies, quâ non pluribus scinditur vena infirmis, quibus illius dentis applicatione impeditur profluvium cruxoris. Non me latet alius modus explorandæ in diætis dentibus hujus admirabilis qualitatis.


Memini me legisse in Historiâ Indicâ. Cum olim Lusitani Malabaricos paros (sic vocant parva Navigia Indorum) cepissent, & Cadavera Malabrum occiforum tabe & sanguine sordida in aquam ejerent, reperisse cujusdam Principis Malabarici cadaver, plurimis glandibus trajectum, & iteratis vicibus confossum, sine ullo prorsus ex hiantibus vulneribus sanguinis effusi vestigio; cum igitur indusum ac alias vestes, aut potius telas detraxissent, atque frustum osseum appensum ad collum abrupissent, (quod sine dubio ex Caballi marini fuit dente) ecce tibi subito, veluti aggere perrupto, sanguis è mortuo corpore ad stuporem omnium profuluit, quem profectò ne exiret tam à Vivo, quam postea à cadavere mortui appensum frustum cohíebat: nimirum frigidissima qualitas, ex dente applicato profusa in corporis venas, constipatum detinebat sanguinem, qui postea, abstracto dente, restitutus naturali suæ raritati, per vulnera aperta copiolissimè promanavit.

De Gen-to Serpent.

 En-to serpentum omnium in Insula Hay-nan & Provincijs Quam-tum, Quam-sy, &c. reperitur facile maximus, cervos intè gros exsugèdo & com- minuendo devorat, non adeò vénenosus, colore cinerico variegatus, longus octodecim aut quatuor & viginti pedes: famelicus ex dumetis profilit, caudæ innitens in saltum se erigit, & cum feris atque hominibus acriter luctatur: subinde ex arbore insidioso in viatorem defilis, & complexione interimit; fel illius contra oculos morbidos Sinis est preciosum. In India & regno Quam-sy in quorundam certi gêneris Serpentum (quos Cobras de Cabelo seu capillatos Lusitani nominant) capitibus sapis reperitur contra morsus ab ijsdem Serpentibus inflictos homini, spacio alias viginti quatuor horarum interituro. Lapis hic rotundus, coloris in medio albi, & circum circa glauci aut cœrulei, vulneri applicitus per seipsum hæret, veneno verò jam plenus decidit: pòst lacti immersus per aliquam moram, ad statum naturalem se reducit. Lapis hic non omnibus communis, si literatò eidem vulneri adhæreat, virus omne exhaustum non fuit; si non adhæreat, moribundo Indigenæ de supecato mortis periculo aggratulantur. Reperta est item radix aliqua contra venenum hujus morsus vocata à Lusitanis Raiz de Cobra, idest, radis Serpentis, quam masticare opus est, quoad usque bis aut ter eruçtet homo.

Alius præterea apud Sinas serpens invenitur veneni maximi, sed preciosus, qui intra paucas horas hominum occidit. Ex eo medicina contra varios morbos sic paratur: Cauda eum corpore immergitur amphoræ optimo repleta vino, ut solum caput & os vidi serpentis, ne evadat, constrictum per medium operculi foramen extet, ut igne supposito, vinoq; fervescente, omne virus aperto ore vaporet. Caro reciso capite infirmis datur, & unicum illud preciosum theriacæ ad instar asservatur.

Figuram Gen-to Serpentis vide supra, sub Littera L.







GLORIA REGNI SINENSIS
CRV:X
IN PROVINCIA XENSI
Anno 1625. inventa..

SERENISSIMUM ET POTENTISSIMUM
PRINCIPEM AC DOMINUM, DOMINUM
LEOPOLIDUM
IGNATIUM,
HUNGARIÆ REGEM FLO-
RENTISSLIMVM, &c.



Btuli Rex Serenissime Regni nostri florentissimi Arbores, Flores, fructusq; nobilissimos. Addo nunc coronidis loco Arboris omnium præstantissimæ CRVCIS nempe figuram gloriofissimam, quæ in antiquissimo Saxo delineata, Provinciam XENSI in primis celebrem facit. Spectantur hinc inde circa Crucem Syriaci & Sinici characteres, Saxo incisi, quibus explicatur Lex Divina per Apostolorum Successores ad Regnum nostrum Sinense quondam delata. Leguntur etiam in illo Episcoporum ac Sacerdotum illius temporis nomina, nec non Imperatorum Sinensium in Christianos favores ac indulta. Repertus verò est memorabilis hic lapis Anno M. DC. XXV. cùm in civitate Sanxuen novi fundamenta muri præparentur.

De invento monumento mox certior factus loci Gubernator, cum venerandæ antiquitatis (cujus amantissimi sunt Sinenses) vestigia proprius fuisse intuitus, continuo scripto quodam in monumenti laudem edito, in altero ejusdem magnitudinis lapide totam inventi Saxe perigraphen incidi curavit, ijsdemq; Charactrum notarumq; ductibus, eâ, quâ par erat, fide servatis, cuius prototypi exemplum Patres Soc: IESV (Sinensis mei horti cultores indefessi) unâ cum interpretatione Romam transulerunt, ubi hodie in Bibliotheca Domus Professæ ejusdem Soc: spectandum proponitur.

Figura lapidis erat in modum Parallelogrammi extensa, quinque palmis lata, uno crassa, longa ferè decem. In fronte CRVX apparebat, qualis ferè Equitum Melitensium. Mysteria, quæ hoc lapide continebantur, eleganter descripsit R. P. Athanasius Kircherus, Soc: IESV in Prædromo linguae Copticae, ubi inter cætera observat tituli loco. infra CRVCEM novem Charæcteres Sinenses, quos sic interpretatur.

Lapis in laudem & memoriam æternam Legis Lucis, & Veritatis, portatæ de Judæâ, & in Chinâ promulgatæ, erectus.

Cætera Sinico incisa charæctere sublimi & exquisito stylo composta continent Christianæ Religionis præcipua mysteria.

I.

De creatione rerum hæc habentur.

Intellexi qui semper verus fuit, & quietus, omnis expers principij, intellectus profundissimi, & semper duraturi, excellente potentia suâ creavit res, infinitâ Majestate Suâ & sanctitate fecit sanctos.

Hæc est Essentia Divina, trina in personis, & Substantia una, Dominus noster verus, sine principio Olò Oyu (quod in Chaldaeo idem ac Eleha significat) in figurâ fecit quatuor mundi partes, commovit chaos, & fecit duo KIS, hoc est, duas virtutes, mutavit

tavit tenebras, fecit cœlum & terram, fecit, ut Sol & Luna motibus suis noctem & diem causarent, res omnes fabricatus est.

Verūm creando primum hominem ei præterea Iustitiam largitus est originalem, Dominum eum constituendo totius universi, &c.

2.

De lapsu Adami sic legitur..

Proptera ostquam verò Satanas fraudibus suis usus, effecit, ut Adamus id, quod ex se & suâ naturâ purum erat, & perfectum, inficeret: hoc est, fecit, ut malitia in ipsum intrare inciperet perturbatura pacem, & hujus suæ simplicitatis æqualitatem, & discordiam illâ fraude introduxit, &c.

3.

Incarnationis Mysterium sic proponitur.

Tunc una de Divinis personis Sanctissimæ Trinitatis dicta. Messias, restringendo tegendoque Majestatem suam, & se humanæ naturæ accommodando, homo factus est. Quamobrem ad hoc gaudium annunciandum Angelum ablegavit, & de Virgine in Iudæâ natus est. Stella hujus magnæ felicitatis fuit annunciatrix: Reges ejus claritate perspectâ, munera oblaturi venerunt, ut lex & prophetiae 24. Prophetarum adimplerentur.. Gubernavit autem mundum lege magna, condidit legem divinam, spiritualem sine verborum strepitu, fide vera consummavit. Octo disposita beatitudines: Res mundanas mutavit in æternas; aperuit portam trium Virtutum (Theologicarum) vitam dedit destruendo mortem.. In personâ suâ ad inferos descendit, & omnia confudit dæmonia; Nave pietatis suæ ad cœlum conduxit bonos, & iustorum animas in salutem vindicavit. Hisce deniq; finitis suâ potentia in Cœlum ascendit, & Baptismum ex aquâ & Spiritu instituit ad ablucenda peccata, & mundum ad puritatem reducendo. Cruce utitur, ut omnes absq; exceptione comprehendat, excitat omnes voce Charitatis, &c.

Plurima alia ibidem leguntur de Apostolorum, Sacerdotum, Ministrorum Christi dignitate & vita.

Multa de Christianæ Legis excellentiâ, quam sub singulis prudentiæ Rege Tâi, Olo puèn, ex Iudæa vir virtute celebris Anno Christi 636. Sinensibus proposuit, quæ mox iussu Regis per totum Regnum promulgata est, quoniam Lex Sancta & immaculata ab eruditis judicata fuit.

Atque sic in Sinensi horto arbor Crucis plantata, & Christianæ fidei principia saxo inscripta fuerunt, quæ Gubernator Villæ Sanxuen alteri lapidi incidi curavit, & in Urbis Sigan Eremitorio, veluti nobilissimum antiquitatis monumentum erexit : hac lege Lucis declaratione & Crucis Trophæo, quod lapidi impressum, dum Sinense Regnum obsignatum volo, me meaq; omnia Majestati Suæ humillimè offero, dico atque consecro.

Sint fructus, flores, & quidquid sive Hortus Sinensis, sive Saxum Sanxinense continet, sinceri istius affectus æternum ac perennaturum ad omnem posteritatem monumentum.

Serenissimæ & Potentissimæ

Majestatis Suæ

Ad nutum obedientissima filia,

Flora Sinensis.

CON-

CONCLVSIO
AD SERENISSIMVM ET
POTENTISSIMUM
HUNGARIE
REGEM.

Io LeopoLDVs regnat Spes aLtera RoMæ.



*Uam bene tam fructus, quam Flores Flora dicavit
So'lo Patre minor REX LEOPOLDE, Tibi !
Nam licet Aetatis teneræ Tibi vernet in annos
Flos Tuus & crescas undique vere novo :
Attamen & fructus Virtutum, ac semina profers
Inclyta, & his Flores fructibus antevenis.
Cresce & vive diu ! Rex Florentissime, Flore !
Flos pretiose Soli ! flosq; future poli !*

regVM fLorI LeopoLDDo,
orbIsq; Ve DeLeCtaMento
hæC Vota & seMet aDeo Llbens
AC MerItò Donat fLora, & Vnā
DoMVs professæ CLientes

Sac: Reg: Majestatis suæ

Manu & mente Servi æter-
num devotissimi.

СОЛНЦЕВАД
СЕБЯНИСТАНКА
СОЛНЦЕВАД
АИГАРИНГА
СЕБЯНИСТАНКА
СОЛНЦЕВАД

Dow's Biologique Clinique AG Mettler Doctor Flory & M. HSC Note & Newer SDecoTPhers OutpedsAe DelEcGmoto RegM High TecholDg

Ecc: Reg: Massachusetts

Digitized by Google

